



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**Venetiis, 1518**

De Stella iterum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13534**

## ERIDANORVM

Stella eadem ferit ex oculis, oculisq; medetur,  
Hæc mihi & hostis amor, hæc & amica venus.

## DE STELLA.

q Valis flauentes Zephyrus permulcat aristas,  
Syrius ardenti dum coquit aura face.  
Qualis languentes liquidus ros excitat herbas,  
Dum fremit horrenti feruidus ore leo,  
Talis & erumnas risu fugat, & leuat aestus  
Stella meos, risu Stella iocosa suo.  
Huius enim risus mihi ros est, huius ab ore  
Aura uenit, Zephyris lenior ipsa suis.  
Aura faue, foveatq; senem, Zephyriq; fauete,  
Et foveant risus Stella benigna tui.

## AMANTES ESSE MISEROS.

s Ol hyemes, sol aestates moderatur, & idem  
Tempus agit noctis, tempora lucis agit.  
Talis amor, rixas idem, pacemq; procurat.  
Idem laetitiam, tristitiamq; mouet.  
Sol aestus, sol & glaciem, tenebrasq; diemq;,  
Diuerso tamen hæc tempore cuncta facit.  
Ast turbas, requiemq; simul, lacrimasq; iocumq;  
Miscet amor, nullo tempore certa gerens.  
Semper enim uariat dubius, semperq; uacillat.  
f Quam miser est omni tempore quisquis amat!

## DE THELESINA, ET PUDERICO.

e Cœ uenit Thelesina. Venus comittatur, amorq;  
Parce puer pharetræ, tu dea parce faci.